

Sapientia!

Stemus exaudiamusque Saanctum Ebangelium

Pax Vobiscum!

(et cum spiritu tuo)

Lectio Sancti Ebangelii secundum Mattheum Ebangelistum!

(Laus tibi, Domine, Laus tibi!)

Bene attendamus!

*Mat 6:24 nemo potest duobus dominis servire aut enim unum odio habebit et alterum diliget aut unum sustinebit et alterum contemnet non potestis Deo servire et mamonae*

*Mat 6:25 ideo dico vobis ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis neque corpori vestro quid induamini nonne anima plus est quam esca et corpus plus est quam vestimentum*

*Mat 6:26 respicite volatilia caeli quoniam non serunt neque metunt neque congregant in horrea et Pater vester caelestis pascit illa nonne vos magis pluris estis illis*

*Mat 6:27 quis autem vestrum cogitans potest adicere ad staturam suam cubitum unum*

*Mat 6:28 et de vestimento quid solliciti estis considerate lilia agri quomodo crescunt non laborant nec nent*

*Mat 6:29 dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis*

*Mat 6:30 si autem faenum agri quod hodie est et cras in clibanum mittitur Deus sic vestit quanto magis vos minimae fidei*

*Mat 6:31 nolite ergo solliciti esse dicentes quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur*

*Mat 6:32 haec enim omnia gentes inquirunt scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis*

*Mat 6:33 quaerite autem primum regnum et iustitiam eius et omnia haec adicientur vobis*

*Mat 6:34 nolite ergo esse solliciti in crastinum crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipse sufficit diei malitia sua*